



Tsī nulla est antiquitatis memoria, qvæ fabulis aut fabularum suspicione careat undiqvaqve: nescio tamen, qvā Monachorum ignorantia dicam aut neqvitia? factum est, ut præ cæteris sacrarum literarum historiæ variis & ridiculis sæpè conspurcarentur traditionibus. An forte credula plebs in superstitionum vinculis ita debuit contineri, ne ad ipsam scripturæ lectionem confugeret, si tam pulchra aliunde accederent Evangelia? An ipsi meliora nescientes carbones suas pro thesauris haberí voluerunt? Exempli loco nobis sit trita de Pilato historia, qvot ea figmentis aucta? qvot narrationibus variata? qvot interludiis quasi perpolita?

Primum fabulæ actum facit ejus Patria, qvæ quidem magis est controversa, qvam olim Homeri, qvem, ut ait Cicero *Orat. pro Arch. Colophonii civem esse dicebant suum, Chii suum vendicabant, Salaminii repeatabant, Smyrnæi verò suum esse confirmabant*. Aliqui Germanum fuisse contendunt, patriamqve assignant Forchheimum, qvod oppidum spectat ad Episcopum Bambergensem in Franconiâ, & leguntur apud Chytræum in *Onomastic. dict. Pilatus Rhopalici figmento tam egregio planè digni*

*In Forchheim natus est de natione Pilatus  
Teutonicae gentis crucifixor omnipotens.*

Ger-